

17747

—————

VII.

7

CONFESSIO

DE MEDIATORE GENE.

ris Humani Iesu Christo uero Deo

& Homine, contracta nomine

& uoluntate Ministrorum

Ecclesiæ in urbe

Claudiopoli in

Pannonia.

A CASPARO HEL

to eius loci Pastore.

Ex ueterum & Recentium
Theologorum scriptis.

VVITEBERGAE.

ANNO.

M. D. L V.



PRAEFATIO.



COHORRESCIMVS
toto corpore legentes
et audientes tristem pre-
dicationem Domini &
Mediatoris nostri Iesu
Christi, quæ extat apud
Mattheum cap. 18. ubi

inquit, Necessè est, ut scandala ueniant,
Ve autem homini illi, per quem scan-
dalum uenit, Sicut & S. Paulus 1. Co-
rinth. 11. Necessè est hæreses fieri, ut ij,
qui probati sunt, manifesti fiant.
Item Christus Dominus Matth. 10. Eri-
tis odio omnibus propter nomen meum.
Diabolus autem ab initio duobus hisce
cornibus oppugnauit ueram Ecclesi-
am, uidelicet, Sophistica, & Tyranni-
de siue crudelitate. Itaque & nunc idem
facere non desinit, Nam excitata & ut-
cunque instaurata, ex Dei uoluntate &
clementia ueritatis doctrina, concessoque
eius nutu aliquo respirandi tempore,
callidus & uersutus Serpens supersemi-
nat agro Dominico zizania, hoc est,

A ij multis

PRAEFATIO.

multiplices hereses & blasphemias. Alia uero ex parte excitat tristes tragœdias, furitq̃ persecuendo Ecclesiam Dei co-
lentem & amantem ueritatem, quod quidem testatur perpetua Ecclesiae his-
toria, hodiernaq̃ experientia. Modis itaq̃ omnibus nititur Diabolus puram Domini Dei doctrinam, quæ immenso eius beneficio orbi terrarum illuxit, suis zizanijis obscurare, funditus deniq̃ de-
lere.

Porro cum eius exercitium furio-
sum in oppugnanda Ecclesia iam uetus sit, & diuturnum, terminusq̃ sit in pro-
pinquo, quando furoris sui recepturus est condigna præmia, nunc quoq̃ spar-
git nouas hæreses, & ex inferis, quam-
uis sub alijs coloribus & formis, resus-
citatur priscas, Licet autoritate uerbi dei,
iudicioq̃ Ecclesiae Catholicae dudum sint condemnatae atq̃ explosæ.

In hunc itaq̃ mundum & hoc tem-
pore extremo Diabolus per squamas
suas,

PRAEFATIO.

suas, homines fanaticos, uana scientia
præiudicioq̃ inflatas serit in his regi-
onibus opiniones contumeliosas in
Mediatorem nostrum, Deum & homi-
nem, Iesum Christum, natum ex Ma-
ria uirgine. Affirmant etenim horrida
audacia & temeritate, Christum Do-
minum tantum secundum humanam
naturam esse Mediatorem, Redem-
ptorem, Pontificem, & seruatorem no-
strum, & nihil, quod ad officium Me-
diatoris pertinuit, conuenire Diuinæ
naturæ, uel Personæ iuxta diuinam na-
turam. Rursum, nostram iusticiam &
iustificationem tantum tribuendam es-
se humanæ naturæ in Christo, & non
diuinæ.

Quapropter nostri officij esse du-
ximus, testimonium ferre ueritati, no-
stra simplici & perspicua confessione,
cum in uicinia nostra uideamus spargi
iam dictos errores, ne nostrum silen-
tium suspicionem faciat alicui nos ad-
sentiri horum deliramentis

A 3

Dominus

PRAEFATIO.

Dominus autem Deus noster dirigat sancto suo Spiritu mentes & cogitationes nostras, & flectat calamum ad defensionem ueritatis suae, sanctaeque gloriae nominis eius, Et ad proximorum nostrorum aedificationem, animarumque nostrarum aeternam salutem.

A MEN.

PARTI



PARTITIO CONFESSIO- nis.

Porro hoc ordine procedemus in explicatione & confessione doctrinae fideique nostrae.

1. Proponemus ueram Confessionem, consentientem cum uerbo Dei. Confessionemque Ecclesiae Dei omnium temporum.

2. Confirmabimus comprobabimusque hanc confessionem sententijs sacrae scripturae, puroque uerbo Dei.

3. Confirmabimus eandem testimonijs et sententijs sanctorum Patrum primitiuae Ecclesiae.

4. Ordine recensebimus fanaticorum hominum peruersas, & in Christum contumeliosas opiniones, pugnantes cum Catholicae Ecclesiae, nostraeque confessione. Eas postea ordine confutabimus, cum sententijs sacrae scripturae, puroque uerbo Dei, tum sententijs & dictis sanctorum Patrum primitiuae Ecclesiae,

A iij

De pri



DE PRIMO.

PRIMO cum Patribus in Ephesino & Calcedonensi Concilijs congregatis confitemur, Vnum eundemq; filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum perfectum eundem in humanitate, Deum uerum & hominem uerum, eundemq; ex anima rationali & corpore, consubstantialem Patri secundum Diuinitatem: hominem etiam uerum per omnia nobis similem, absq; peccato: Ante secula quidem à Patre natum secundum Diuinitatem, in nouissimis autem diebus eundem propter nos & salutem nostram ex Maria uirgine, Dei genitrice, secundum humanitatem, Vnum eundemq; Christum filium Dei unigenitum in duabus naturis, inconfuse, incommunicabiliter, indiuisè, inseparabiliter cognoscendum. In nullo naturarum diuersitatem propter unitatem perimendam, salua potius proprietate utriusq; naturæ in una Persona, unaq; substantia concurrente. Non in duas Personas partiendum aut diuidendum, sed unum eundemq; filium unigenitum Deum uerbum, Dominum Iesum.

Quemadmodum sancti Patres in his concilijs confitentur ueram ueritatis Confessionem, ita et nos una cum illis confitemur, Christum esse nomen Personæ subsistentis in utraq; natura, cui conueniunt, & tribui

DE PRIMO.

tribui debent omnes actiones & passiones, quæ filio Dei, aut alteri homini dari solent. Neq; naturas semel in ipsius Persona coniunctas, diuellendas esse, ut aliquæ actiones soli Diuinitati, & aliæ soli humane, & huic omnes passiones tribuantur, etiamsi uerum sit, Diuinitatem impassibilem esse.

Concludimus itaq; uerum Deum, Dei filium Dominum nostrum Iesum Christum, pro nobis passum, id est, Diuinam Personam, in assumpta humana natura: licet Diuinitate manente impassibili. Simul & Christum Dominum non tantum secundum humanitatem esse nostram iusticiam & iustificatorem, & Mediatorem, sed filium Dei, cum prouideret lapsus hominis, fuisse supplicem suo Patri, antequam iacerentur fundamenta mundi, Et in fine seculorum factum hominem, traditum propter peccata nostra, & resurrexisse propter iusticiam nostram, uel, iustificationem, remissionem peccatorum, donationem Spiritus sancti esse beneficia filij Dei, & non tantum humane nature.

DE SECVNDO.

ILLVD iam nobis probandum erit, quod una cum Patribus Concilij Ephesini & Calcedonena

DE SECVNDO.

cedonensis confessi sumus, uidelicet, Quod Mediator nomen sit officij Persona, & non alterius tantum naturae proprietas, ut impij Nestoriani contumaciter affirmant, docendo, Christum tantum secundum alteram naturam esse Mediatorem.

Ostendunt etenim officia summi Sacerdotis & Mediatoris noui Testamenti, non tantum intelligi naturam humanam, sed personam, quae est Deus & homo, habentem actiones in utraq; natura. Est enim summus Sacerdos noui Testamēti Persona, immediate missa à Deo, ad patefactionem Euangelij, ad placandam iram Dei suo sacrificio, & ad precandum pro nobis, habens testimonium, quod exaudiatur, per quem & exhibentur bona, promissa in nouo Testamento.

Sic confitetur uniuersalis Ecclesia in Symbolo Apostolorum Credo & in Iesum Christum filium eius unicum, Dominum nostrum. Quid confitetur deinde Ecclesia de hoc unigenito filio aeterni patris: Quod uidelicet conceptus sit de spiritu sancto, Natus ex Maria uirgine, passus sub Pontio Pilato, quod crucifixus sit, mortuus & sepultus: Quod ad inferos descendit, (licet Nestorio secundum suum Iudaismum nulli sint Inferi) Quod tertia die resurrexerit & mortuis: Quod ascendit ad caelos, ac sedet ad dex-

teram

DE SECVNDO.

teram Dei patris omnipotentis &c. Nemo sana mente praeditus, & quid uel scintillam tantum pietatis habet in pectore. hi. officias, hanc Confessionem Catholicae Ecclesiae ex purissima ueritate Dei, sacraque scriptura extractam atq; consarcinatam esse.

Ad hunc modum confitetur Ecclesia & in alio Symbolo, inquiens: Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Coelis. Si secundum Nestorianos tantum natura humana est redemptrix, Quare dicitur filius descendisse de caelis propter nostram salutem.

Sed scripturae Dei testimonia manifesta sunt.

Iohan: 3. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum dederit, ut omnis, qui credit in eum non pereat, sed habeat uitam aeternam. Non enim misit Deus filium in mundum, ut iudicet mundum: sed ut mundus saluetur per eum. Haec uerba de sola natura humana intelligi non possunt: neq; etiam sic accipi possunt, quasi aeternum uerbum patris nihil agat pro nobis apud patrem, aut nihil agat nobiscum. Adfuit filius Dei, nondum homo factus, ab initio Ecclesiae, & intercedit pro Ecclesia, seruaui & uiuificauit eam, ut multis in locis hoc ipsum ostendunt sacrae literae.

Roma

DE SECVNDO.

Roma: 8. Si Deus pro nobis: quis contra nos?
Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnium tradidit illum. Deus est, qui iustificat: quis est, qui condemnet? Christus, qui mortuus est, imo qui resurrexit, & sedet ad dexteram Dei, & interpellat pro nobis.

Hierem. 23: Hoc est Nomen, quod uocabunt eum. Ichoua, Iusticia nostra, Nam si purus homo potuisset mereri omnibus alijs remissionem peccatorum iusticiam & uitam aeternam, nihil opus fuisset, filium Dei fieri Mediatorem, aut supplicem aeterno patri & obedientem usq; ad mortem crucis. Et nullius puri hominis meritum est infinitum, ut posset placare iram Dei pro infinitis hominibus.

Sic ait Diuus Ambrosius: Tantum fuit peccatum nostrum, ut saluari non possemus, nisi Christus pro nobis debitoribus mortis, moreretur.

Item Anselmus in Lib: Cur Deus homo, sic ratiocinatur. Satisfactio pro peccato hominis non potest fieri nisi per Deum hominem. Quia oportebat reddi maius illo, pro quo non debeat peccare. Non debebat autem homo pro tota creatura peccare: Igitur necesse fuit, ut Deus homo satisfaceret.

In Epi-

DE SECVNDO.

In Epistola ad Hebreos summa cum autoritate disputat Diuus Paulus, de Mediatore, & Messiam nunc Mediatorem, nunc summum sacerdotem uocat Manifeste enim dicit in collatione summi sacerdotis noui Testamenti, & sacerdotis ueteris testamenti. Lex hominibus constituit summos sacerdotes, habentes infirmitatem: sermo autem iuramenti post legem, Filium in aeternum consummatum.

Paulus in Epistola ad Hebraeos praecipue hoc agit, ut probet ex scriptura Prophetica Mediatorem noui Testamenti, sacerdotem & pontificem Christum non purum hominem fuisse, ut Moisen et Aaron, quorum alter fuit Mediator, alter pontifex ueteris testamenti: sed uerum Deum & hominem, idq; ex officio Mediatoris, cuius actiones quaedam sunt, quae proprie Deo concuuiunt, aliae uero quae homini, utraque tamen personae Mediatoris.

Statim a principio principalem propositionem proposuit totius Epistolae, inquiens: Olim Deus locutus est patribus & Prophetis. Nouissime autem locutus est nobis per filium, per quem fecit & secula. Et statim tribuit filio Dei, qui est splendor gloriae patris, & expresse imago substantiae eius, officia Mediatoris & Pontificis, quae tria sunt in genere, uidelicet,
Docere,

DE SECVNDO.

Docere, orare & sacrificare. Postea multis testimonijs, ex Psalmis collectis, probat hunc Mediatorem, qui interloquitur inter Deum & homines, esse naturam Deum.

Nec moramur Nestorianorum sophisticam qua hæc testimonia eludere conantur, Quasi de sola natura humana accipi debeant. Nam illud: Et tu Dominus in principio fundasti terram, & opera manuum tuarum sunt caeli, necesse est de persona Christi secundum Diuinitatem accipi.

De officio Mediatoris, scilicet Doctrinae clarissima sunt testimonia in Ioanne Euangelista.

Ioan. 1. Deum nemo uidit unquam unigenitus, qui est in sinu patris, ipse enarrauit.

Ioan. 8. Iudæis quærentibus, Quis esset? respondit de officio Doctrinae. Ego, qui a principio loquor uobis.

Item, Ioan. 8. Qui misit me, uerax est. Et ego, quæ audiui ab eo, hæc loquor in mundo.

Item, hæc loquor in mundo, ut salui sitis.

Ad huc multa habeo uobis dicere quæ non potestis ferre modo: Cum autem uenerit ille spiritus ueritatis docebit uos omnem ueritatem. Non enim loquetur

DE SECVNDO.

loquetur a seipso, sed quæcumque audiet, loquetur. Ille me clarificabit. quia de meo accipiet, et annuntiabit uobis.

Item uenit hora, ut non in parabolis loquar uobis, sed palam annuntiabo uobis de patre meo.

Sic Apostoli ex officio Mediatoris scilicet Doctrinae, confitentur eum esse Deum. Nunc scimus inquit, quod scis omnia, & non est opus, ut quisquam te interroget de aliquo: In hoc cognouimus, quod a Deo exiisti.

Huc pertinet & aliud Argumentum de testimonio, id est, Miraculis, Nam Christus hæc duo coniungit, & ex utroque probat suam Diuinitatem, ut.

Ioan. 15. Si non uenissem & eis locutus fuissem, peccatum non haberent. Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.

Item Ioan. 14. Philippe, non credis, quia ego in patre, & pater in me est. Verba, quæ ego loquor, a me ipso non loquor. Pater in me manens ipse facit opera.

Tractatur & hoc Argumentum copiose ab Athanasio, ideo, inquit, ad Iudæos infideles clamabat, dicens. Si non facio opera patris, nolite credere mihi, si autem facio, et si mihi non creditis, operibus

DE SECUNDO.

meis credite, ut sciatis & cognoscatis, quod in me sit pater, & ego in patre, sicut enim inuisibilis existens ex creaturae operibus noscitur. Sic homo factus, & inter corporis angusta receptus ex operibus non esse homo tantum cognoscitur, qui ista operatur, sed uirtus Dei atq; uerbum & c.

His Mediatoris officijs uidelicet, doctrina & testimonij doctrinae uicinum est Argumentum de missione, ex qua Christus in Ioanne frequenter solet probare suam Diuinitatem. Et Ioannes Baptista ex eo discernit personam & officium Christi Mediatoris ab officio & persona sua. Vos ipsi inquit, testimonium perhibebitis de me, quod dixerim. Non sum ego Christus. Qui de terra est, de terra loquitur. Et qui de caelis uenit, super omnes est. Et quod uidit & audiuit, hoc testatur. Et testimonium eius nemo accipit. Qui autem accipit, is obsignauit, quod Deus uerax est. Quem enim misit Deus: Verba Dei loquitur. Non enim ad mensuram dat Deus spiritum, Pater diligit filium, & omnia dedit in manus eius.

Et Christus ait, uos misistis ad Ioannem, & ille testimonium perhibuit ueritati. Ego habeo testimonium, maius testimonio Iohannis, opera enim, quae dedit

DE SECUNDO

dedit pater ut faciam, testimonium perhibent, quod pater me miserit. Et qui misit me pater, ipse testimonium perhibet de me: neq; uocem eius audistis, neq; faciem uidistis, & uerbum eius non habetis in uobis manens. Quia quem misit ille, huic non creditis.

Hic clare discernitur persona & officium Mediatoris, ab officio & persona Baptista ex missione. Aliter mittitur Baptista: Et aliter filius Dei. Baptista de terra mittitur, & in terra audit, quae loquatur, sicut alij Prophetae. Filius de caelo uenit, de caelo mittitur, & audit a patre, quae loquatur. Nec tantum accipit spiritum ad mensuram, sicut homo: sed omnia quae habet pater, accipit ut filius Dei.

Ad Ebreos 2: dicitur: Decebat enim eum, propter quem sunt omnia, & per quem sunt omnia, ut multos filios in gloriam adduceret, principem salutis ipsorum, per afflictiones perfectum reddere. Hoc Diuus Paulus clare affirmat Mediatorem Deum esse, per quem sunt omnia, & hunc passum esse pro salute hominum, ut sit dux salutis eorum & seruator.

Debet autem Argumentum hoc diligenter perpendi, quod sumitur a secundo officio Mediatoris uel Pontificis, quod est Orare & Intercedere, sic

B

autem

DE SECVNDO.

autem inquit Paulus, in Epistola ad Ebreos cap. 2. Debit per omnia similis fratribus fieri, ut misericors foret, & fidelis Pontifex erga Deum, ad expianda peccata populi.

Sequenti postea Capite personam & officium Pontificis, cum persona & officio Mosi confert, & ait: hunc esse famulum Dei: nostrum autem Pontificem esse natura filium Dei, qui Moysen condiderit: Et hunc filium cum Moise & populo Israelitico locutum fuisse in Eremito probat, ponens uersum Psalm. 94: Hodie si uocem eius audieritis, nolite obdurare corda uestra, sicut in exacerbatione tempore tentationis in deserto, ubi tentauerunt me patres uestri, &c.

Et postquam eum Iosua contulisset, clare uocat sermonem Dei, qui iudicat cogitationes & intentiones hominum, & cui omnes creaturæ conspiciuntur, omniaq; sint nuda & resupinata, cap. 4.

DE TERTIO OFFICIO Mediatoris et Pontificis,

Id est, De oblatione, Loquitur Diuus Paulus ad Ebreos cap: 5: Habentes Pontificem magnum, inquit, Iesum filium Dei, teneamus confessionem nostram

DE SECVNDO.

stram. Et addit, sic Christus semetipsum non glorificauit, ut Pontifex fieret: sed is qui locutus est ad eum: Filius meus es tu: Ego hodie genui te. Quem admodum & alibi dicit: Tu es sacerdos in aeternum, secundum ordinem Melchisedech: qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesq; ad eum, qui poterat ipsum a morte seruare, cum clamore ualido & lacrymis offerens exauditus est pro sua reuerentia. Et quidem cum esset filius Dei, didicit ex his, quæ passus est, obedientiam & consummatus, omnibus obtemperantibus sibi, autor aeternæ salutis factus est. cognominatus est a Deo Pontifex iuxta ordinem Melchisedech.

Hic clare ait, hanc esse gloriam pontificis, quod sit & dicatur filius Dei: & quod hic filius Dei in diebus carnis suæ, id est, assumpta humanitate, passus sit, orauerit, lacrymatus sit, & didicerit ex his, quæ passus est, obedientiam, ac factus sit autor aeternæ salutis, id est, seruator, omnibus obtemperantibus sibi.

Discernit igitur proprietates humane nature, scilicet pati, lacrymari, ab his, quæ personæ Pontificis seruatoris & Mediatoris tribuuntur, propter Diuinam naturam, iuxta quam dicitur filius Dei sacerdos in aeternum autor salutis, uel saluator.

DE SECVNDO.

Et præterea docet, proprietates utriusq; nature tribui personæ. Ideo ait: Quosdam rursus crucifigere semetipsis filium Dei.

Hæc officia Mediatoris et Pontificis ad huc clarius ponuntur & coniunguntur in cap. 7. huius Epistolæ. At illi, inquit, sine iurciurando sacerdotes facti sunt, Hic autem cum iurciurando, per illum, qui dixit ad eum. Iurauit Dominus, & non penitebit eum. Tu es sacerdos in æternum. Ideo melioris testamenti sponsor factus est Iesus. Et alij quidem plures facti sunt sacerdotes secundum legem, id circo, quod morte prohiberentur permanere, Hic autem, quod manet in æternum, sempiternum habet sacerdotium unde & saluare potest in perpetuum, accedens per se ipsum ad Deum semper uiuens ad interpellandum pro nobis. Ecce Pontifici & sponsori. Vel Mediatori noui Testamenti tribuit utriusq; nature proprietates, scilicet seruare, & per seipsum ad Deum accedere. Item, Interpellare & uiuere.

Et in 5. cap. eius Epistolæ ait. Accedamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ eius, ut misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio oportuno. Sic tribuit Mediatori & Pontifici illa quæ sunt propria Diuinitatis, Inuocationem, & donationem gratiæ & misericordiæ.

Postea

DE SECVNDO.

Postea in eadem Epistola cap. 9: Sic colligit Paulus. Necessè fuit noui Testamenti Mediatorem Christum pati & mori, ac seipsum offerre pro peccato, Et hæc unica oblatione sui corporis & sanguinis perfectos fecisse eos, qui sanctificantur ac destruxisse corpus peccati, totamq; massam sic aboluisse, ut non sit opus eum rursus offerri, aut fieri commemorationem peccatorum per singulos annos, sicut in ueteri Testamento. Deinde addit, Pontificem Christum, cum ingrederetur in mundum, dixisse, Hostiam & oblationem nolui. Corpus autem aptasti mihi. holocaustomata & hostiæ pro peccato non placuerunt tibi. tunc dixi. Ecce uenio.

Manifestum est omnino hoc uersus ex Psal. 39. citatos, non posse de Christo secundum humanitatem intelligi. Nam humanitas non est ingressa in mundum. Nec humanitati aptauit Deus corpus, sed filius Dei ingreditur in mundum. & is dicit. Ecce uenio. Nec affert secum corpus de cælo, sed conceptus est de Spiritu sancto.

Item. Filius Dei dicitur offerre suum corpus & sudisse suum sanguinem in remissionem peccatorum. Et falsissima est imaginatio, Christum tantum secundum humanam naturam obtulisse suum

B 3

corpus,

DE SECVNDO.

Corpus, & suum sanguinem in remissionem peccatorum. Aut animam consensisse in mortem Corporis. uel illud tantum uoluisse & obtulisse, & non filium Dei obtulisse corpus suum una cum anima, sicut manifestissimum est ex illius uerbis in Euangelio. Potestatem habeo ponendi animam meam, & habeo potestatem iterum sumendi eam. Nemo tollit eam a me. Sed ego pono eam a me ipso, & iterum sumo eam.

Et si igitur offerri ab alijs, pati, mori, conueniant Christo tantum secundum humanam naturam, tamen Pontificis officium est, offerre, intercedere & docere, conueniuntq; hæc tria filio Dei, etiam secundum diuinam naturam, id quod iam antea satis & copiose probauimus.

Iam & de Intercessione quædam addenda.

CVM peracta ultima Coena iam iter uersus hortum ingressus esset, ardentissimam orditur precationem ad eternum suum patrem, pro Apostolis & Ecclesia. Et inter reliqua de sua Diuinitate, inquit. Hæc est uita eterna, ut cognoscant te solum uerum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Ego te clarificavi super terram, opus consummaui, quod

DE SECVNDO.

quod dedisti mihi ut faciam. Et nunc clarifica me, pater, tu apud te ipsum, ea claritate, quam habui apud te, priusquam mundus fieret. Hoc certe non potest accipi tantum de natura humana, quæ non fuit apud patrem ante conditum mundum. Sed necesse est intelligi de tota persona, etiam secundum diuinam naturam. Et cum similes sint multe orationes in eodem capite, oportet fateri, etiam hoc genus officij Mediatoris conuenire toti personæ Christi secundum utramq; naturam, & non tantum secundum humanam.

Cum igitur officia Mediatoris & Pontificis conueniant personæ Christi, secundum utramq; naturam, merito accusantur Nestoriani dogmatis, quæ docent Christum tantum secundum humanam naturam esse Mediatorem.

Est igitur Mediator Noui Testamenti non tantum homo. Nec ideo dicitur solum Mediator, seruator & Pontifex, quia moritur, nec propterea tantum est missus & unctus a Deo, ut moreretur. Sed ideo missus est & unctus, ut doceret homines de promissione edita per ipsum, & de se ipso in Paradiso, & ut facta promissione, colligeret sibi eternam Ecclesiam, cui semper assisteret, eamq;

DE SECVNDO.

contra hostes defendere, semper intercederet, & sua Ecclesiae preces ad Patrem perferret, & tandem se pro illa offerret.

Hoc autem eum fecisse a promissione facta in Paradiso, perpetua Ecclesiae Historia, & Prophetica scripta testantur. Ita enim principium Genesis exponit Euangelium, Filium dictum Verbum, quod Deus per illud locutus sit cum Patribus & Prophetis, & per hos cum alijs hominibus. Notissime in assumpta humana natura coram, & ore ad os, ut Paulus docet, 1. Corinth. 10.

Et Christus ipse apud Isaiam Cap. 62. ait. Ipse ego, qui loquor, ecce adsum.

Item Ioannis 8. Ego qui a principio loquor uobis.

Item, Abraham pater uester exultauit, ut uideret diem meum, uidit & gauisus est.

Item, Priusquam fieret, ego sum.

Item, exiui a patre, & ueni in mundum. Item, quum relinquo mundum, & uado ad patrem.

1. Corinth. 10. Paulus expresse inquit, Christum affuisse patribus in deserto. Biberunt ex spiritali comitante eos petra, petra autem erat Christus.

Item

DE SECVNDO.

Item. Iob, cap. 19. inquit, Scio quod redemptor meus uiuit, uocat redemptorem filium Dei tunc uiuentem.

Psal. 110. Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis, & De torrente in uia bibet, propterea exaltabit caput. In hoc Psalmo consideranda est forma loquendi. Primum Dauid uocat Messiam Dominum suum, & addit, talem esse Dominum, cui Iehoua mandatum dederit, ut ad dextram ipsius sedeat, id est, pari potentia cum ipso regnaret. Non autem obscurum est, Dauidem concionari de filio Dei, cui soli hunc honorem communicat pater, ut sibi ad dexteram sedeat, siquidem nulli Angelorum unquam dixit Deus, sede ad dexteram meam. Postea uero de hoc ipso Domino, scilicet, filio Dei, inquit. De torrente in uia bibet, id est, gustabit communes miseras & mortem, donec erit in uia, id est, in hoc mundo, predicans sua uoce Euangelium, & offerens seipsum patri pro peccatis generis humani, uerum non manebit in morte, sed tertia die exaltabit caput, seu ut nos loquimur, resurget ex morte. Hae formae loquendi licet offendant humana iudicia, tamen spiritus sanctus ita loquitur, et diserte affirmat, illum ipsum Dominum bibisse de torrente, qui hebraica phrasi significat omnes calamitates, quibus oppressa est humana natura.

B 5

Sic

DE SECVNDO.

Sic loquitur Diuus Paulus, Acto: 20. Attende uobis & uniuerso gregi, in quo spiritus sanctus uos collocauit ut pascatis Ecclesiam Dei quam proprio sanguine acquisiuit. Mira profecto uox est, quæ Deo sanguinem tribuit. Cum enim Deus sit spiritus, certe nec sanguinem, nec ossa, nec carnem habet. Si autem Deus caret sanguine, improprie & inepte Paulus loqui uidetur, cum ait. Deum redemisse Ecclesiam non auro uel argento, sed suo sanguine.

Vera quidem est propositio in Abstracto. Diuina natura est spiritualis carens sanguine, sed altera propositio non minus uera iudicanda est, quæ in Concreto dicit. Deus est homo, habens sanguinem & hoc redimens Ecclesiam. Nam illa persona, quæ passa est, & sanguinem suum in cruce pro nobis effudit, uere est Deus. Et propter hanc personalem unionem duarum naturarum recte & conuenienter proprietates unius naturæ tribuuntur alteri in Concreto. Item Paulus inquit, Gala. 2. Quod autem in carne uiuo, in fide filij Dei uiuo, qui dilexit me, & tradidit seipsum pro me.

Item Dilexit Ecclesiam & tradidit seipsum pro ea.

Item, Rom. 8. Qui proprio filio suo non percipit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.

Item

DE SECVNDO.

Item, Rom. 5. Reconciliati sumus ei per mortem filij sui.

Item, 1. Ioan. 1. sanguis Iesu Christi, filij Dei, emundat nos ab omnibus peccatis.

Item, 1. Corinth. 2. Loquimur, inquit. S. Paulus, sapientiam Dei in ministerio, quæ est abscondita, quam præfinierat Deus ante secula in gloriam nostram, quam nemo principum seculi huius cognouit. Nam si cognouissent, haud quaquam Dominum Gloriæ crucifixissent.

Illustrißima est hæc sententia, quam Cyrillus et alij patres opposuerunt Nestorio in Synodo Ephesina. Est enim præclarum testimonium eius Doctrinæ, quæ de Communicatione Idiomatum traditur. Iudei existimabant, se tantum Cruci affigere miserum & imbecillum hominem, genitum à Ioseph & Maria. Paulus uero diserte dicit, Iudeos crucifixisse ipsum Dominum Gloriæ. Hæc uox è Psalmo sumpta est, ubi Christus sapissime appellatur Rex Gloriæ. Nihil autem dubium est, Dominum Gloriæ. uerum esse Deum.

Quamquam igitur Paulus non liberat Iudeos ignorantia iuris: tamen hanc ignorantiam eis tribuit. Quæ. d. Iniuste & impie fecerunt, quod hominem innocen-

DE SECVNDO.

innocentem necarunt, sed in eo habent aliquam excu-
sationem, quod personam non agnouerunt, arbitran-
tes se hominem tantum afficere supplicio, cum homo
ille simul fuerit Dominus Glorie.

Etsi igitur Diuinitas per se immortalis & im-
passibilis sit, tamen tota actio in passione, hoc est,
Oratio, oblatio, sacrificium, Intercessio, satisfactio,
Reconciliatio pertinet ad personam filij Dei. Neq;
enim sola natura humana orat, se offert, deprecatur
iram Dei, satisfacit & reconciliat, sed Iesus Christus,
uerus Deus, & uerus homo. Hec omnia facit, sicut
ipse manifeste testatur, cum ait. Ego pro eis oro,
Ego pro eis sanctifico meipsum. Potestatem habeo
ponendi animam meam, & iterum sumendi eam,
Nemo tollit eam à me, sed ego ponam eam
à meipso, & iterum sumo eam.

Hec de natura humana non
possunt intelligi, sed de
persona, quæ natura
est Deus.

DE



DE TERTIO.

CVM omnis Doctrina sanctorum
Patrum primitiue Ecclesie testimonio ca-
rens merito omnibus suspecta esse debeat. Ideo ad
confirmandam hanc nostram ueram & Christianam
confessionem adducemus & testimonia sanctorum
Patrum, qui ut splendidissima sidera in primitiua
Ecclesia fulserunt.

Patres Concilij Ephesini, Can. 10.

ita concluderunt. Pontificem & Apostolum con-
fessionis nostre factum esse Christum. Diuina scrip-
tura commemorat. obrulit enim semetipsum pro
nobis in odorem suauitatis Deo & patri, si quis er-
go Pontificem & Apostolum nostrum dicit factum
non ipsum Dei uerbum (quando caro factum est, et
homo iuxta nos homines) & c. Anathema sit.

Item, Can. 13. Ait magna & sancta Synodus,
Ipsam, qui est ex Deo patre naturaliter natus, filium
unigenitum. Deum de Deo uero, Lumen de lumi-
ne, per quem & cum quo fecerit omnia pater, hunc
descendisse, incarnatum esse, & hominem factum,
Passum esse & resurrexisse tertia die, ascendisseq;
rursus in Coelos. Unus ex ambobus Christus est
filius. Non euacuata uel sublata diuersitate natura-
rum per coniunctionem, sed quia simul sunt Diuinitas
& hu-



DE TERTIO.

Et humanitas per arcanam illam ineffabilemque copulationis adunationem. sic illum dicimus et passum esse, et resurrexisse. Non quia Deus Verbum in sua natura passus sit, aut plagas, aut clamorum transfixiones, aut alia uulnera susceperit, (Deus namque incorporalis, extra passionem est) sed quia corpus illud, quod ipsius proprium factum est, hoc sustinuit, ideo hæc omnia pro nobis ipse dicitur passus. Inerat enim in eo corpore, quod patiebatur, Deus, qui pati non poterat.

Irenæus, Lib. 3. Cap. 20.

Contra Valent:

QVONIAM solus uere Magister Dominus noster, et bonus, et uere filius Dei, et patiens uerbum Dei patris, filius hominis factus Luctatus est enim et uicit. Erat enim homo pro Patribus certans, et per obedientiam inobedientiam persoluens. Alligauit enim fortem, et soluit infirmos, et salutem donauit plasmati suo, destruens peccatum. Est enim piissimus et misericors Dominus amans humanum genus. Herere itaque fecit et aduenit, quemadmodum prædiximus, hominem Deo, si enim

DE TERTIO.

si enim homo non uicisset inimicum hominis, non ita uictus esset inimicus. Rursus autem, Nisi Deus donasset salutem, non firmiter haberemus eam: Et nisi homo coniunctus fuisset Deo nostro, non potuisset particeps fieri in corruptibilitatis. Oportuerat enim Mediatorem Dei, et hominum per sua ad utrosque domesticitatem in amicitiam et concordiam utrosque reducere, et facere, ut Deus assumeret hominem, et homo se dederet Deo. Quæ enim ratione filiorum adoptionis eius participes esse possemus, nisi per filium eam, quæ est ad ipsum, recepissemus ab eo communionem nisi uerbum eius communicasset nobis caro factam. Dicit Irenæus. In Mediatore duas esse naturas. Quia nos non possemus esse filij adoptionis, nisi is, qui natura filius est, assumpsisset nostræ naturæ massam.

CYRILLVS AD NESTORIUM.

NON, inquit, dicimus, quod Dei natura conuersa aut immutata, sit facta caro, uel quod in totum hominem, qui est ex anima et corpore transformatam sit, sed illud magis, quod carnem animatam, et animam rationalem sibi copulauerit. Verbum. Et filius

DE TERTIO.

Et filius Dei substantialiter, ineffabiliter, incomprehensibiliter, factus sit homo, & dictus filius hominis, Nec nuda tantū uolūtate, Nec assumptione personæ: Sed quod diuersæ quidem naturæ in unum conueniant, unus tamen ex utraque; Christus & filius, non euacuata aut sublata naturarū diuersitate propter unionem, Si quis uero in Christo diuidit substantias post unitatem, Anathema sit.

Item, si quis non confitetur Deum uerbum passum carne, crucifixum carne & mortem carne gustasse, factumque primogenitum ex mortuis, secundum quod est uita & uiuificat nos tanquam Deus, Anathema sit.

Item Cyrillus in quadam Epistola ad Nestorium quæ extat apud Nycephorum Ecclesiæ Hist: Lib: 16. cap. 30 sic ipsum, inquit, dicimus passum esse & resurrexisse. Non quod Deus uerbum propria sua natura passum sit, aut plagas, aut clauorum fixuras, aut uulnera aliqua acceperit. Diuinitas enim perperessione obnoxia non est, propterea, quod etiam incorporea est. Quoniam uero corpus, quod proprie eius factum est, passum est, propterea uerbum ipsum pro nobis passum esse dicitur. Nam id quod a perperessione liberum, in corpore perperessione obnoxio, fuit,

Athana-

DE TERTIO.

Athanasius in Symbolo. Nam sicut anima rationalis & caro unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus, Qui passus est pro salute nostra, Descendit ad inferos, Tertia die resurrexit à mortuis.

Item probat, Oportuisse filium Dei fieri Mediatorem propter hæc quatuor.

1. Quod corruptibile nostrum in incorruptionem uertere illius erat, non alterius munus, qui ab initio ex non existentibus condiderit omnia.
2. Quod alius non potuit in nobis renouare imaginem abolitam peccato, nisi Patris imago.
3. Quod alius non potuit nos docere de Patre, nisi uerbum solius Patris, uerus & unigenitus Filius.
4. Quod debitam ab omnibus mortem ipse aboleret, Ideoque post documenta ex operibus ostensa Diuinitatis sacrificium pro omnibus templum suum morti pro salute tradens, ut omnes à reatu antiquæ præuagationis absolueret, ac liberos faceret: seque ostenderet mortis habere imperium, cum resurrectionis omnium primitijs proprium corpus præberet intuendum.

Basilii Epist. ult. Genitus est, inquit, Per mulierem, ut genitos regeneraret. Crucifixus est uo-

C

lens, ut

DE TERTIO.

lens, ut in uoluntarie mortuos exuscitaret. Deuorauit ipsum mors ignorans, ubi deuorasset, cognouit, quem non deuorauit. Deuorauit uitam, Deuorata est à uita. Deuorauit unum cum omnibus, Perdidit propter unum omnes. Rapuit, ut Leo, confracti sunt dentes ipsius, quæ propter etiam uelut debilis contemnitur. Non enim amplius uelut Leonem timeamus, sed uelut pellem conculcamus.

Leo Episcopus Romanus ad Flavianum.

Et ad naturæ nostræ, inquit, debitam culpam luendam natura diuina ei, quæ perpeſſioni obnoxia est, unita est, ut quod ita sanationi nostræ affine cõmodumq; esset, unus & idem Mediator Dei & hominum, Christus Iesus, mori ex altera posset, ex altera non posset.

Idem, Salua igitur proprietate utriusq; naturæ, & in unam coeunte Personam, suscepta est à maiestate humilitas, à uirtute infirmitas, ab æternitate immortalitas, & ad resoluendum conditionis nostræ debitum natura inuiolabilis naturæ est unita passibili, ut quod nostris remedijs congruebat,

DE TERTIO.

gruebat, unus atq; idem Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, mori posset ex una, & mori non posset ex altera. In integra ergo ueri hominis perfectaq; natura uerus Deus natus est &c.

Fulgentius libro primo, De Mediatore.

Cunctos præterea, inquit, Qui salutis esse cupiunt æternæ participes, oportet agnoscere pariter & tenere, non incassum hominem Iesum Christum, Mediatorem Dei & hominum nuncupatum, nisi quia idem Deus totam in se naturam suscepit hominis, & idem homo totam in se substantiam Deitatis,

Idem lib. 3. De passione Mediatoris.

Nos, inquit, Fidem retinentes Euangelicæ ueritatis, sic in Mediatore Dei & hominum, homine Iesu Christo, propria unius cuiusq; naturæ cognoscimus, ut unitatem Personæ nullatenus diuidamus, scientes, quod sic in Christo utriusq; substantiæ manserit unita proprietates, ut in carne patiens impassibilis, & ueram passionem (quia uoluit) in uera carne sentiret, & in Diuinitate prorsus impassibiliter permaneret. Nec alius in carne passus fuerit, nisi ille,

DE TERTIO.

ille, qui in uera carnis passione impassibilis omnino permansit. Nec alius semetipsum dignatus sit morti tradere, quam ille, qui sic potuit moriendo mortem uincere, ut mortem non posset in morte sentire.

Idem eodem libro.

Restat, ut diuinitatem Christi, quam immutabilem sancta scriptura commendat, sic passam factamur in carne, ut eam tamen credamus compassam non fuisse cum carne. Ideo enim Deus in carne passus est, quia passibilem carnem Deus accepit. Ideo autem carni compassus non est, quia in carne patiens, impassibilis Diuina natura permansit. Communem passionem Diuinitatis & carnis unitasque Personæ fecit in Christo, non Diuinæ humanæque naturæ confusio. Per hanc unitatem Personæ Dominus Gloriæ asseritur crucifixus, & autor uitæ dicitur interemptus.

Ambrosius in Epistola ad Timotheum.

Vnus enim Deus, unus Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, Dei & Christi unam significat esse uoluntatem in saluandis hominibus, unde Deū Patrem, quia ab ipso est omnis autoritas, unum

DE TERTIO.

unum esse fatetur, & unum Mediatorem Dei & hominum Christum Iesum, Missus est à Patre, factus arbiter, reconciliauit Deum & homines, reformando eos ad agnitionem eius. Quia enim unus est Pater, & filius, non Persona, sed indifferenti natura, ut arbiter esset Dei & hominum, homo esset Christus Iesus, id est, non sine Diuinitate. Quia in Deo homo erat, & Deus in homine, ut ex utroque esset Mediator, & utrumque reconciliaret.

Idem lib. 2. De fide. Cap. 4.

Illud quod dictum est, Dominum Maiestatis crucifixum esse, non quasi in maiestate sua crucifixum putemus, sed quia idem Deus, idem homo, per diuinitatem Deus, per susceptionem carnis homo, Iesus Christus Dominus maiestatis, dicitur crucifixus, quia consors utriusque naturæ, id est, humanæ atque Diuinæ, in natura hominis subiit passionem, ut & Dominus maiestatis dicatur esse, qui passus est, Et filius hominis, sicut scriptum est. Qui descendit de cælo.

Hieronymus in exp: Fidei &c.

Nos ita dicimus, inquit, Hominem passibilem
C 3 à Dei

DE TERTIO.

à Dei filio susceptum, ut Deitas impassibilis permaneret. Passus est enim filius Dei, nō putatiue, sed uere omnia, quæ scriptura dicit, secundum illud, quod pati poterat, scilicet, secundum substantiam assumptam. Licet ergo Persona filij Dei susceperit passibilem hominem, ita tamen eius habitatione secundū substantiam nihil passa est, ut tota Trinitas, quam impassibilem necesse est confiteri.

Chrysostronus super locum Titimo: Unus Mediator, Christum uerum Deum, & uerum hominem esse, neq; potuisse accedere et alloqui Deum, nisi fuisset Deus. Eorum uerba sunt: Nequaquam igitur tantum est Deus, Neq; enim homines hunc excepissent, qui erat intercessor futurus, Nec simplex homo, quippe, qui Deum esset allocuturus.

Bernhardus Sermo: 14. &c.

Passus est in Cruce impassibilis Deus, & in carne nostra mortali mortuus ac sepultus, immortalis Dei filius, Sed ecce tertia die resurrexit à mortuis, Et qui extiterat in passione. Leo factus est in resurrectione. Surrexit & uicit Leo de tribu Iuda, qui mortem, quam ex infirmitate nostra pertulit, ex uirtute sua resurgendo calcavit.

Dama-

DE TERTIO.

Damascenus tradit Regulam de Communionem Idiomatum. Hanc Scholastici exponunt, Quod proprietates utriusq; naturæ Diuinæ et humanæ, dicantur de Persona Christi Inconcreto, ut Deus dicatur natus de uirgine, Virgo Maria Dei mater. Item, Deus sit passus & mortuus: Sed Diuinitas neq; sit nata, passa aut mortua.

Ex his principijs doctrinæ Ecclesiasticæ fundata in scriptura sacra, & confirmata in Synodis Ephesina, Calcedonensi: &c. Et sanctorum Patrum sententijs, defendimus, filium Dei esse Mediatorem, propitiatorem, & Pontificem, ac intercessisse pro genere humano, etiam ante conditum mundum, cum præuideret lapsum hominis. Et propter hanc intercessionem & passionem Christi præuisam & acceptatam ab æterno Patre, omnes credituros Euangelio, & in fide decessuros ex hac uita, electos esse. Sicut Paulus, inquit, Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos omni benedictione spiritali in cœlestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso, priusquam iacerentur fundamenta mundi. Item, Paulus Tit. 1. Paulus seruus Dei, Apostolus autem Iesu Christi, secundum fidem electorum Dei, & agnitionem ueritatis, quæ est secundum spem uitæ æternæ quam promisit Deus ante

C 4 tempora

DE TERTIO.

tempora aeterna, manifestauit autem temporibus suis uerbum suum per praedicationem.

Item, Paulus 2. Thimo. 1. Qui saluos nos fecit uocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum et gratiam, quae data est nobis per Christum Iesum, ante tempora aeterna, Manifestata est autem nunc per apparitionem saluatoris nostri Iesu Christi.

Cum enim prauidisset lapsum hominis, factus est supplex aeterno Patri, & placauit iram eius, pollicitus ei obedientiam usq; ad mortem. Hic fuit primus actus Mediatoris. Deinde locutus est, cum primis hominibus in Paradiso, & predicauit eis poenitentiam, & remissionem peccatorum in nomine suo, dicens: Semen mulieris conteret caput Serpentis. Et subinde locutus est cum Patribus & Prophetis, usq; dum uenisset plenitudo temporis, in quo misit Deus filium suum, factum ex muliere, & ut ore ad os cum hominibus loqueretur, quemadmodum Propheta in persona eius praedixit. Ipse ego qui loquor, Ecce adsum, Isai. 62. Et in eandem sententiam, Iudaeis quarentibus, Tu quis es? Respondit ille, Qui a principio loquor uobis.

Tunc enarrauit arcanam illam uoluntatem Patris hominibus, de reconciliatione generis humani.

Sicut

DE TERTIO.

Sicut Ioannes ait, Deum nemo uidit unquam, Unigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarrauit hanc inquam uoluntatem. Sic dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam aeternam.

Postquam autem manifestasset nomen Patris sui, accedit ad passionem, & primo petit pro se, deinde pro Ecclesia, sicut Ioannes ait. Haec cum dixisset Iesus, sublatis in caelum oculis, dixit, Pater uenit hora, clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te. Et nunc clarifica me Pater apud te ipsum claritate, quam habui priusquam mundus fieret, apud te. Manifestaui Nomen tuum hominibus. Quos dedisti mihi, Ego pro eis rogo, Sanctifica eos in ueritate. Non pro eis oro tantum, sed etiam pro omnibus, qui credituri sunt per sermonem eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, Et ut ipsi in nobis unum sint, & credat mundus, quod tu me misisti.

Sic orans aggreditur passionem nec desinit orare in Cruce, donec emittit Spiritum. Pater inquit, Ignosce illis, Quia nesciunt quid faciunt. Et Paulus ait, Qui in diebus carnis suae preces supplicationesq; ad eum, qui poterat ipsum a morte seruare, cum clamore ualido & lacrymis offerens, exauditus est propter reuerentiam.

C 5

DE

DE QVARTO.

QVI HOC TEMPORE negant Christum Dominum esse Mediatorem, secundum diuinam naturam, nihil noui adferunt, sed ueterem heresim Nestorij ex inferis suscitant. Etsi Nestorij controuersiam putant aliqui tantum fuisse contentionem de modis loquendi, au recte dicatur, Deus est crucifixus, tamen fuisse de re maxima controuersiam inde adparet, quod disputauit Christo adesse λόγος, per adfistentiam, ut ipse locutus est, Seu tanquam socium & auxiliatorem, & hunc hominem Iesum, fuisse hospitem, seu domicilium, seu templum τῷ λόγῳ. Sicut adfuit λόγος, Eliæ & alijs Pruphetis, loquens per eos, qui etiam fuerunt templa, seu domicilia τῷ λόγῳ separabilia ab eo, nec sensit λόγος adsumpsisse humanam naturam inseparabili unione, ita, ut sit unū ἕν ἰσὺν ἄλλῳ, & sit noster Redemptor & Saluator ipse λόγος Deus & homo, non tantum natura humana, quam cogitat Nestorius esse hospitem τοῦ λόγῳ.

Omitto recitare iudicia uetustatis de Nestorio, quem scribunt fuisse natum in Cilicia ex posteris Pauli Samosatani hominem garrulum, superbe contemnentem scripta ueterum piorum Interpretum. Tantum de re dicam. Qui contendunt solam humanam naturam Mediatricem esse, interrogati, Cur sint

DE QVARTO.

sint copulata hæ duæ naturæ? tantum hoc dicunt. τὸν λόγον adesse humanæ naturæ ideo, ut posset humana natura perferre passionem, Et non dicunt nostra causa factam esse copulationem duarum naturarum, sed propter illam tantum massam, Et solam illam Massam humanam esse Mediatricem. Hæc manifeste pugnant cum Symbolo, in quo dicitur. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis. Et Dominus ipse inquit. Sic Deus dilexit mundum, ut filium unigenitum dederit & c.

Hæc illustria testimonia sint in conspectu contra imaginationem istorum, qui fingunt solam humanam naturam mediatricem esse. Nec τὸν λόγον nostra causa missum esse, Sed tantum ut iuuaret illam massam quam gestauit. Contra hunc horrendum errorem necesse est doceri & confirmari piæ mentes. Oro autem omnes qui iudicare possunt, ut cogitent fontes quare decretum sit, ut filius æternus mitteretur, & adsumeret humanam naturam, propter nos uidelicet, non tantum ut illius suæ massæ gestator esset, Pro nobis intercessit inde usq; ab initio, Profert Euangelium ex sinu æterni Patris, uult obedientiam, conseruat ministerium Euangelij, est efficacax

DE QVARTO.

efficax immediate in ministerio Euangelij, uiuificat, seruat & protegit Ecclesiam, Est iudex in resurrectione, offert aeterno Patri Ecclesiam &c. Ut cogitemus etiam λόγος dici, quia est Persona, per quam Pater aeternus immediate alloquitur Ecclesiam. Hac cogitatione fit dulcior agnitio filij cum intuemur assiduam eius praesentiam in nobis, & ueram efficaciam, Sicut nominatur Emmanuel, Te inuoco fili Dei domine Iesu Christe, cum sis λόγος aeterni Patris, doce & rege me, fac me Palmitem tuum, sicut dixisti, Ego sum uitis, Vos Palmites. Vitis es non tantum quia nos reconcilias, sed etiam quia uere ades credentibus, & in eis es efficax.

ERRONEAE COLLECTI-
ones futiliaq; Argumenta Nestorianorum modernorum, quibus nituntur stabilire suum dogma, Christum Iesum secundum humanam tantum naturam esse nostrum Mediatorem, & non secundum Diuinam, Quibus additae sunt breues & perspicuae confutationes.

ARGVMENTVM Primum.

Primo

DE QVARTO.

PRIMO ita colligunt. Vnus est Mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus, Ergo non Deus &c.

Responsio, Hoc dictum S. Pauli non excludit diuinam naturam, Quia nominat Personam. Christus enim est nomen Personae in qua sunt duae naturae. Q. d. Hic homo Christus est Mediator, non alij homines, Abraham aut Moises, de quo etiam scriptum est, Deut. 5. Ego steti inter Deum et uos &c, Sed hic unicus filius Dei est Mediator, quia hic, assumpta natura humana, est Propiciator.

Et notandum hoc loco, quod Iesus est nomen Seruatoris, ut docet Angelus, dicens: Vocabis Nomen eius Iesum, is enim saluabit populum suum a peccatis eorum. Seruator autem est, non tantum secundum humanam naturam, sed etiam secundum Diuinam. Sicut Euangelista docet ex Propheta, Hoc totum factum est, ut impleretur, quod dictum est per Prophetam, dicentem: Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & uocabit Nomen eius Emmanuel, id est, nobiscum Deus.

Christus est autem nomen Regis & Pontificis, sicut docet Paulus ex Psalmo, Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo laticiae propter cōsortes tuos. Et addit, de eodem Pontifice, Et tu Domine in principio

DE QVARTO.

cepit fundasti terram, & opera manuum tuarum sunt Cœli. Quare manifestum est, quod homo Iesus Christus, non tantum sunt nomina humana nature sed personæ secundum utramq; naturam, Diuinam & humanam.

SECVNDVM ARGUMENTUM.

SECVNDO ita colligunt, Eadem est essentia in Patre et Filio, & Filius per naturam est æqualis Patri, igitur non potest esse Mediator, nec potest apud Patrem intercedere.

Respondeo. Etiam si Filius est ὁμοῦσιος Patri, tamen certissimum est missum esse Filium, non Patrem, Et suas esse Personarum proprietates.

TERTIVM ARGUMENTUM.

TERTIO ita colligunt, Si Christus secundum naturam Diuinam est Sacerdos, tum necesse est, ut sibi ipsi offerat, quod est absurdum &c.

Respondeo ut antea. Filius consideratur hic ut Persona missa, & sic decretum est consilio Diuinitatis,

DE QVARTO.

nitatis, ut hæc Persona mitteretur, non Angelus &c.

QVARTVM ARGUMENTUM.

QVARTO ita colligunt, Nemo est mediator sui ipsius. Item, Nemo est deprecator apud seipsum, Ergo &c.

Responsio perspicua est, Hæc uera sunt eodem respectu, & ubi unica Persona est, Sed hic discerni oportet, inter mittentem Diuinitatem, & filium missum. Filius in quantum missus est, est Mediator, & Sacerdos.

QVINTVM ARGUMENTUM.

OPERA Trinitatis ad extra sunt indiuisa, Victoria igitur & saluatio est Patris, Filij & spiritus sancti, ac tantum passio est Christi propria &c.

Simpliciter respondeo ad Regulam. Opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa, scilicet, seruata cuiusq; Personæ proprietate. Filius assumpsit humanam naturam, non alia Persona. Filius & Spiritus sanctus

DE QVARTO.

rus sanctus mittuntur. Agit filius non à se, sed per se, ut inquit Augustinus, Saluat & uiuificat Pater, sed hoc ordine, per filium, ut Paulus inquit, Deo gratia, danti nobis uictoriam per Dominum Iesum Christum. Et Filius inquit, Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio, Quod manifestum est, sic esse accipiendum, Patrem iudicare non solum, sed per filium iudicare & patefacere iudicium. Per Filium patefecit Euangelium, seruatur ministerium: Datur Spiritus sanctus, ut Paulus testatur, Ephe. 4

Ac dicitur Ecclesia Regnum Christi, quia uerbo colligitur inde usq; ab Adam per filium. Postea, inquit Paulus, Tradet Regnum Deo Patri, id est Nunc per uerbum cernimus Patrem, Postea Diuinitas coram conspicietur, & regnabit, non ministerio Euangelij, sed immediate.

Veteres causas quesuerunt, quare Saluator non tantum sit homo, & causæ recensentur, Quia sola humana natura nec uidere, nec sustinere magnitudinem iræ Dei potuerit, nec uincere mortem, nec reddere uitam & iusticiam æternam. Item congruebat, ut precium maius esset peccato. Nec humana natura sola uideret uoluntatem Dei in intercessione pro alijs. Hæ causæ nihil sunt apud illos, qui dicunt, tantum naturam patientem & morientem esse mediatricem,

DE QVARTO

diatricem: et saluationem eodem modo esse Patris, Filij, & Spiritus sancti, cum promissio expresse dicat, Semen mulieris conteret caput serpentis.

Nestoriani quidem putant, non magni momenti rem esse, de qua differimus, neq; dignam, propter quam instituenda sit acris defensio, sed toto celo errant uani homines. Est enim hæc unica & firmissima consolatio, considerantibus multitudinem suorum peccatorum, quæ arena & aquis maris conferuntur à Prophetis. Et magnitudinem iræ Dei, quod non tantum purus homo, aut humana tantum natura, sed uerus Deus, & persona Diuina sit pro nobis passa, crucifixa, mortua & sepulta.

Pulchre enim Damascenus inquit, In Domino Iesu Christo duas naturas agnoscimus, unam autem hypostasin ex utraq; constantem. Incarnatus est enim filius Dei ex uirgine assumens primicias nostræ massæ, ut ipse extiterit in carne hypostasis composita, quæ prius simplex erat, uerbi Hypostasis. Composita uero ex duabus perfectis naturis, Deitate & humanitate, & ferat ipsa uerbi Dei filiatiōnis Characteristicum & appropriatū Idioma, secundum quod discernitur à Patre et Spiritu sancto. Et carnis characteristicum & appropriatū Idioma, secundum quod differt à matre, & reliquis hominibus.

D

item,

DE QVARTO.

Item, Vnam hypostasim filij Dei confitemur, in duabus naturis perfecte se habentibus, Deitatis, & humanitatis, & incarnatum esse, eandem hypostasim, & duas manere in ipso post unionem naturas. Non seorsim, & secundum partes ponentes quamlibet: sed unitas inuicem in unam hypostasim. Substantialem enim dicimus, unionem, scilicet ueram & non phantasticam. Substantialem autem non duabus naturis perficientibus alteram, scilicet, unam compositam naturam, sed unitas inuicem in unam hypostasim filij Dei, & manere eandem substantialem differentiam determinamus. Quod creatum, mansit creatum: Et quod increatum, increatum. Et mortale, mortale. Et immortale, immortale. Et circumscriptibile, circumscriptibile. Hæc Damascenus.

Agnoscamus igitur Mediatorem, Redemptorem, Salvatorem, Regem & Sacerdotem hunc Christum, Deum & hominem. Et gratias agamus Deo, pro hoc immenso beneficio, quod filium uoluit assumere humanam naturam, & hunc filium, Deum & hominem, uoluit esse Redemptorem & Salvatorem, & caput Ecclesie, quod omnia perficit.

Vt autem

Vt autem finem faciam, repetam argumentum, quod adeo firmum & perspicuum est, ut nulla Sophistica labefactari possit, uidelicet, quod in Symbolo expresse positum est, Descendit propter nos homines & propter nostram salutem de cælis. Iam si λόγος non est Mediator, quatenus missus est, nec intercedit pro nobis, quare missus est, num propter illam naturam tantum, quam adsumpsit? an etiam propter nos. Sic interrogau quosdam Stanuari amicos, qui mihi responderunt, τὸν λόγον tantum ideo missum esse, ut sustentaret massam quam adsumpsit, ut perferre passionem posset, hanc uero massam proprie esse Mediatricem & Redemptricem. Hoc cum dicunt, sentiunt τὸν λόγον missum esse non nostra causa, sed tantum nature adsumptæ causa. Nec missum intelligunt ad Ecclesiam inde usq; ab initio edita promissione ad primos parentes. At Iohannes inquit, Filius qui est in sinu Patris ipse enarrauit nobis. Hic immediate sonat promissionem in Paradiso. Hic repetit eam ad Abraham, ut scriptum est, Abraham uidit diem meum, & letatus est, hic luctatur cum Iacob, & nominatur Angelus, qui eripuit Iacob ex omnibus malis, hic adest populo in exitu ex Aegypto, ut Paulus inquit, Hic loquens ad Iosue nominat se Principem exercitus Domini. Deniq; uera est sententia Irenæi cui ait, Semper adsuit Ecclesie λόγος. Hanc missi-

onem agnoscamus, & grati celebremus, & credamus cum adhuc nobis adesse sicut inquit. Ecce ego uobiscum sum usq; ad consummationem seculi. Item, Vbicunq; duo aut tres congregati sunt in nomine meo, in medio eorum sum. Adest, exaudit, opitulatur, dat uitam, protegit in periculis, Hæc etiamsi comunia sunt Patri, Filio, & Spiritui sancto, tamen hoc ordine fiunt. Nemo nouit Patrem, nisi filius, & cui filius uolet reuelare, Per λόγος ostenditur Pater, Et immediate per eum Ecclesia protegitur, sicut inquit, Nemo rapiet oues meas ex manibus meis. Hic idem custos & propugnator etiam pro nobis intercedit, sicut in Psalmo scriptum est, Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem.

Adderem plura, sed quia prophani & curiosi undiq; arripiunt occasionem cauillandi, Sum breuior, & oro pios lectores, ut hæc, quæ dixi, attente considerent, cogitent, quid sit Filius λόγος, cur missus sit, & quando missus sit, quæ sit humilitas, de qua dicit, Glorifica me Pater ea gloria, quam habui apud te antequam mundus esset. Recte inuocent filium & agnoscant eius beneficia, quod protulit Euangelium ex sinu æterni Patris, colligit Ecclesiam uoce Euangelij, semper adest Ecclesie, seruat ministerium Euangelij, intercedit pro nobis, ostendit nobis uoluntatem æterni Patris, protegit & seruat

& seruat Ecclesiam, dat Spiritum sanctum, uult obedientiam adsumpta humana natura, & deinde quoq; in ea natura, colligit Ecclesiam, adest ei, seruat eam, & est caput omnia perficiens in omnibus, ut expresse loquitur Paulus. Illud etiam miror cū Sententiarij palam fateantur, dici Christum caput Ecclesie propter utriusq; nature proprietates, cur non dicant & mediatorem esse propter utriusq; nature proprietates.

Postremo lectores hoc etiam moneo. Iubet Paulus prudenter iudicari de Spiritibus. Est autem norma optima, integrum doctrine corpus, iuxta dictum, Siquis aliud Euangelium docet, anathema sit. Extat igitur integra Confessio nostrarum Ecclesiarum, congruens cum scriptis Prophetis & Apostolicis, & cum Symbolis Apostolico, Niceno, & Athanasiano, ac intelligi potest nos & quesuisse ueritatem, & amplecti genus doctrine pium, & utile ad ædificationem Ecclesie, ad usum in pijs mentibus, & in gubernatione, de uera agnitione Dei, περὶ λόγου καὶ πνεύματος ἁγίου. de peccato, de conuersione, de fide consolante corda, de uera inuocatione, de consolatione in cruce, de ueris cultibus Dei, de discrimine Legis & Euangelij, de discrimine iusticie spiritus, & iusticie Politicæ, de discrimine Ecclesie, & Politici ordinis, de ministe-

ro Euangelij, de Sacramentis, de traditionibus hu-
mana autoritate conditis. De his materijs omnibus
extat in nostris Ecclesijs uera & explicata doctri-
na, quæ & singulis propriæ salutis causa cognoscen-
da est, & in gubernatione ad publicam Ecclesiæ
consociationem & ad ordinis & pacis conseruati-
onem utilis est.

Vt autem in edificio magno & multorum la-
bore extructo, spectatores ociosi & curiosi alij ali-
ud reprehendunt, ita nunc multi erronei qui nullius
Ecclesiæ ciues sunt, nec integrum doctrinæ corpus
edunt, arrodunt membra aliqua nostræ doctrinæ,
ut insament nostras Ecclesias, non ut doceant ho-
mines, quia astute occultant suas opiniones de præ-
cipuis doctrinæ partibus. Sic diu uagatus est Ser-
uetus, & in Italia Postellus, uagatur in uicinia no-
stra Stancarus, in Sueuia Stenkefeldius, & alibi
alij, maledicunt Papæ, Luthero, & omnibus no-
stris Ecclesijs. Ac duo genera doctorum contra-
ria omnibus atatibus præcipue oppugnaverunt Ec-
clesiam, Pharisei, & Enthusiastæ. Nomino Pha-
riseos, qui transformant Euangelium in opiniones
Pharisaicas, Ethnico more cogitant allegorias esse
dicta de Personis, defendunt iusticiam operum,
& suos quosdam ritus habent. Talis est corrupte-
la Mahometica, Postelli & multorum aliorum.
Contra Enthusiastæ iactitant suos adflatus, sese ad-
mirantur

mirantur tanquam semideos, abijciunt doctrinam
& ministerium Euangelij, aiunt nostros cætus cir-
cumferre literam sine spiritu, sese uero colloqui
cum Deo, ut de Minoe & de Numa dicebatur. Ta-
les olim fuerunt Marcionitæ, Manichei, & nunc
sunt Anabaptistæ, Stenkefeldiani, Stoici, & alij
horum similes. Hunc exercitum etiam Osiander,
ut inter Lixas & calones sequebatur.

Cum autem ualde moueantur animi hominum,
uel terreantur potius, mentione diuinorum collo-
quiorum, & multi uelint & ipsi supra homines in
cælum euolare, multi præstigijs & grandiloquentia
horum Enthusiastarum, uel turbantur uel capiun-
tur. Quare necesse est monere nostras Ecclesias, ut
& fontes doctrinæ recte discant, & se confirment
contra omnia deliria, & contra conuicia. Singu-
laris est maledicentia & uirulentia Stancari, qui si
seruit gloriæ Dei, & consulere Ecclesijs studet, edat
totum doctrinæ corpus, & placide nos doceat, sicut
in Ecclesia fieri decet. Sumus memores Paulinæ
Regule, Nolite extinguere Spiritum, Prophetias ne
aspersamini, Omnia probate, quod bonum est reti-
nere. Libenter audiemus docentem, & recte mo-
nenti adsentiemur propter gloriam Dei & nostram
salutem. Et ut in Zacharia dicunt illi, qui in Ecce-
lesia castigati uulnera sua ostendunt, dicemus nos ac-
cepisse

cepisse uulnera in domo eorum, qui diligebant nos,
Fatebimur lapsus nostros, & grati celebrabimus be-
neficium Dei, quod nos sanat, & infirmis Ecclesijs
opitulatur. Quid potest equius ac iustius respon-
deri conuicijs Stancari? Idem alijs nostris Censorib.
seu Criticis respondemus. Iubet Lex totum agnum
in Pascate absumi, Ita doctrina integra proponen-
da est. Non turbanda mentes labefactione partis
alicuius, & occultatione consilij & sententiae in re-
liquo doctrinae corpore. Multum refert, non solum
scire quid quisq; sentiat, sed etiam ad quam metam,
& ad quem finem tendat, an uelit harum Ecclesia-
rum societati & saluti consulere, an uero infinitas
dissipationes efficere, & accendere seditiones.
Quam blanda oratio erat fanaticorum hominum in
urbe Monasteriensi, qui cum Ecclesia ante illos er-
rones, qui postea eo uenerunt, recte doceretur,
cum ibi uir optimus esset Hermannus Buschius no-
bilitate generis, eruditione & uirtute prestans, di-
cebant nondum satis purgatam esse Ecclesiam, mo-
res etiam emendandos esse. Postea progressi longi-
us uociferabantur ueram dilectionem esse faculta-
tum communicationem. Ibi ostendebant unde erant
Enthusiasti, quos arroganter iactabant. Peten-
dum est igitur ab istis Criticis, praesertim cum sint
errones, ut se aperiant, totum corpus extruant sua
doctrinae, dicant cuius uelint Ecclesiae ciues esse,
ostendant

ostendant quas metas uelint esse sui consilij. Non
profunt Ecclesiae occultationes insidiosae. Seuerissi-
me precipit Deus, ut & queramus, quae & ubi sit
uera Ecclesia Dei, & nos ei adiungamus, & osten-
damus in ea confessionem nostram, & eius consoci-
ationem foueamus, ut quam plurimi inuitentur no-
stro testimonio ad ueram Dei agnitionem, & ut
minus sit dissipationum, sed quam plurimi unum si-
mus in Deo. Inquit igitur Propheta, Unum hoc
petij à Domino, hoc requiram, ut habitem in domo
Domini omnibus diebus uitae meae. Item, Beati qui
habitant in domo tua Domine, In secula seculorum
laudabunt te. Item, Rogate quae ad pacem suat Ie-
rusalem, Et abundantia diligentibus eam. Hac
sepe cogitent pij in nostris Ecclesijs, in quibus extat
integra doctrinae confessio fideliter explicans fun-
damentum, id est, praecipua capita eius doctrinae,
quae est propria Ecclesiae & illustrans multos arti-
culos fidei, de quibus Papa & Monachi perniciosas
corruptelas multis seculis docuerunt, & adhuc
pertinaciter defendunt. Quare fatemur nos à
Papae factione dissentire, iuxta Regulam, Siquis
aliud Euangelium docet, anathema sit, nec in late-
bris tantum arrodimus ueteres Pontificum chartas
ut mures, Sed palam sonamus, Deo iuuante, incor-
ruptam Euangelij uocem, Palam administramus
Sacramenta in coetu amplectentium Euangelij uo-

em. Hos nostros coetus adfirmamus, Dei benefi-
cio, esse ueram Ecclesiam, in qua filius Dei regnat
& efficax est, ut multi testari possunt experti diui-
nas consolationes. Et res ipsa ostendit hos nostros
coetus defendi, non humanis praesidijs, aut armis,
sed ab ipso filio Dei contra portas inferorum. Et
grati celebremus haec ingentia beneficia filij Dei,
quod publice reddit nobis lucem doctrinae, & colligi-
git & seruat publice Ecclesia inter nos. Huius uera
Ecclesiae dissipationem fieri per erroneas & lucifu-
gas non concedamus, cum quid sentiant de toto cor-
pore doctrinae, non Prophetant, et non ostendant por-
tum ad quem tendunt, tantum in latebris cuniculos
aduersus nos agunt, alias alibi. Aduersus tales insidi-
as pij ut sint firmiores, recte discant fontes doctri-
nae, & ardentioribus uotis commendent sese & has
Ecclesias filio Dei. Sciant diabolus non semper
manifesta uolentia grassari, ut deleat Ecclesiam,
sed simul etiam occulte struere insidias pijs, & ua-
rijs prestigijs ludere, ac ostendere speciem singula-
ris sapientiae & sanctitatis, ut ueritatem obruat,
multos decipiat, & magnas ac horribiles dissipati-
ones efficiat. Sic expresse scriptum est in para-
bola Euangelica, Diabolus rapit Verbum ex corde
eorum. Simus igitur uigilantes, & assidua consi-
deratione doctrinae, & uera inuocatione Dei nos
contra seuisimos & astutissimos hostes muniamus.
Oro

Oro autem toto pectore filium Dei, Dominum
nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis &
resuscitatum Mediatorem, λόγον υἱοῦ ἐμὸν ἀϊ-
διον ἀϊδίου πατρὸς, ut semper Ecclesiam
eternam sibi inter nos colligat, &
eam seruet & gubernet,
AMEN.

CARMEN DE DVL-
cissimo nomine Margaridos,
Scriptum a Iohanne
Lanero.

Corpora ceu passim caelestis in omnia sparsa
Conditor aeternus bene conuenientia rebus
Signa, redemptoris sic quae cum dogmate Christi
Conueniant, conchis insunt non pauca marinis,
In quibus hoc pacto Theophrasti dextera scripsit,
Margarides nasci puras in littore gemmas.

Principio ueris cincti florente corona
Aequoreas urit (mirum) sitis arida conchas,
Repere quas curuum uideas ad littus hiantes,
Coelestem pleno sumpturas gutture rorem.
Ergo sitim stillans sedauit ut unda molestant,
Nascitur

Nascitur ex illo pellucida gemma liquore,
Et simul ex conchæ gratum quæ præbet odorem
Carne, nitens auri claro quandoq; colore,
Argenti niueo splendore aliquando refulgens,
Est in pellendis cuius miranda uenens,
Nec minor humani uis in medica mine cordis,
Gemma tamen fieri solet hæc generosior, haustum
Si modo post rorem tempestas crebra sequatur,
Horreat ut rabidus nymbofo turbine pontus,
Donec erit grauidus concharum pondere uenter.

Scilicet hæc nobis depingit imagine dogma
Ipse suum, sapiens immensi conditor orbis.
Possumus hoc rectè cœlestem dicere rorem,
Quem simul attraxit sitiens Ecclesia Christi,
Nascitur humano noua mox in pectore gemma.
Gnatus ut æterni genitoris & unicus ardor
Reddidit æternam uero de numine uitam,
Corda renascuntur, tunc fit conspecta parentis
Æterni bonitas, inter certamina tandem
Hæc lux atque fides, uera hæc sapientia crescit,
Cum petit auxilio se mens humana iuuari
Christe tuo. Conchæ sit (quod mirabile dictu)
Congruit hæc Euangelio natura salubri.
Congrua sunt etiam peregrinæ nomina linguae,
Margarith ut nigri dicunt seu Bargarit Indi,
Altera Romanis crustam designat amaram,

Significat

Significat puram proprie uox altera crustam.
Bargarith est uerè purissima crustula Christus,
Quodq; dedit nobis æterni uoce parentis
Dogma salutiferum, quo non est purius ullum.
Pura solet fieri tandem quoq; crustula, coetus
Maxime Christe tuo didicit qui fidere uerbo.
Hoc tamen ærumnas quoniam docet esse ferendas,
Crustula non falso nobis dicitur amara.

Præterea conchæ regem dicuntur habere.
Sicut apes Sicula bene quæ pascuntur in Hybla.
Id quoq; ceu docti perhibent, qui talia secum
Dexterius repetunt, ad coetum congruit istum,
Te duce qui medios uictor solet ire per hostes
Gnate Dei, generis nostri pie Christe redemptor,
Hanc tua cum gemmam pietas ostendit emendam,
Doctrinæ studijs nos inuigilare frequentes,
Constantiq; fide iubet hoc cognoscere dogma,
In quo traduntur ueræ præcepta salutis?
Non indoctorum nos absterrebit iniquum
Iudicium, seui non ulla pericula ferri,
Quo minus amplecti diuina oracula uelimus.
Sicut enim tumidis fit purior acta procellis,
Ut magis hæc proffit cordis data gemma dolori,
Tempore sic fiet doctrina salubrior isto,
Cum nimis in toto seuit Mars impius orbe,
Sanguineaq; manu furialia concutit arma.

Quis

Quis neget in medijs etiam nunc fluctibus orbis
Seruari coetum qui te pie Christe fatetur?
Nos teget horribiles inter tua dextra tumultus,
Undiq; cum patriam bellis ardere uidemus,
Cum fera pugnaces committunt praelia Belgae,
Ausoniaq; furit tristis Bellona per oras,
In sua quin etiam conuertens uiscera dextram,
Nunc habet armi potens rabidos Germania Turcas,
Agmina crudorum post hac uisura Scytharum.

Nos uero adiuncti patris o tibi gnate uoluptas,
Crustula qui uere purissima solus in orbe es,
Te petimus, nostros animos tu Christe gubernas,
Nosq; tua porro clementer protege dextra.

VVITEBERGAE.
Ex officina typographica
Viti Creutzer.

